



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Natales Sanctorvm Belgii, & eorundem Chronica Recapitulatio

Molanus, Johannes

Dvaci, 1616

Vigesima quinta Februarij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9477

sis, & Innocentij tertij, à quo etiam fertur ad Concilium Lateranense, anno millesimo ducentesimo decimo quinto vocatus. Corpus eius cum corporibus duorum monachorum (quorum vnus fuit nouitius, alter Vuerricus Prior) repositum est in altari ad ingressum ecclesie: & in Ordinario annotatur Vuerricum obiisse anno ducentesimo nono, quarto idus Maij: ossa autem eius extracta esse quarto Nonas Maij, anno ducentesimo vigesimo primo.

Est autem Alna apud Tudinium celebris abbatia ordinis Cisterciensis. De qua legitur in chronicis Leodiensium, in Hentici episcopi palatio Bernardum, dum crucem predicaret, tria fecisse miracula. Quibus compunctus præsul Alnensem Canonicorum ecclesiam in abbatiam commutauit, cuius primus abbas dictus est Gerardus

Leod. c. 63.

Cæsarius verò, qui in Villario Brabantie, haud procul ab Alna tempore Simonis prior claruit, scribit Bernardo Leodij crucem predicante canonicum maioris ecclesie crucem ordinis in Clafualle suscepisse, cum conterraneo Vualtero. Vnde postea Alnam missus est, ad monasterium fratrum regularium, qui se ad Cistercij, ordinem transtulerunt. Vbi non multò post Prior est factus.

*Cæsa, did-
logor.*

Vigesima quinta Februarij.

De sancta Aldetrudè abbatissa.

Ex eius, & Aldegundis historijs.

M Alodio monasterio natalis sanctæ ALDETRVDIS virginis. Quæ puella bonæ indolis materteræ suæ Aldegundis mores & vitam satagebat imitari. Quæ cum multis floreret virtutibus, humilitati præcipuè & obedientiæ dedita erat. Huic aliquando beata virgo Aldegundis præceperat vt fragmenta ceræ eoaceruaret in vnum, sollicita nè vel minima ferum monasterij deperirent. Illa dicto citius paruit, dispersa ceræ fragmenta collegit, ignem accendit, vas

*Huchaldus
vita Alde-
gundis cap.
8.*

F

aneum

æneum cara plenum superimponit, sed cum strues lignorum combusta decideret, & sartago feruens in alteram partem inclinaret, virguncula fide armata, de medio flammarum luterem bullientem manibus nudis sine vlla læsione in pavementum deposuit. Tantum apud Deum & meritum iubentis & virtus obedientis promeruit. Successit autem materteræ in regimine Malbodij per annos duodecim: post quam germana soror Madelberta per annos nouem.

Prima die MARTII.

De sancto Switberto, coëpiscopo sancti Willibrordi, & Apostolo Teisterbandiæ.

Ex sanctis vitæ eius scriptoribus Marcellino & Ludgero: & in eos obseruationibus Ioannis Nordwijck Goudani, Canonici Ultraiectensis.

IN oppido imperiali, quod Vuerda dicitur, natalis sancti SWITBERTI, episcopi & confessoris. Qui temporibus Pipini, vnâ cum sancto Willibrordo, verbum salutis gentibus prædicauit. Hic inter cætera genera, morbum quem Physici anginam nominant, solitus est curare. Secundus nominatur inter Apostolicos illos viros qui ex Anglia venerunt fidem prædicatum Frisijs, Hollandis & vicinis. Inter quos adhuc presbyter existens, multos conuertit, potissimum incolas grandis vici *Duerstadt*, qui nunc est oppidum *Wije*, & ciuitatis *Hagenstein*, quæ nunc est pagus, *Vianæ* contiguus. Cumque per eum & Willibrordum numerus credentium quotidie augeretur, ex petitione fratrum in *Traiecto* & *Frisia*, vterque consensit,